



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bibliotheca Scriptorvm Sacri Ordinis Cisterciensis Elogiis Plvrimorvm Maxime Illvstrivm Adornata**

**Visch, Charles de**

**Coloniæ Agrippinæ, 1656**

Epistolæ Aliqvot Virorvm Illvstrivm, Qvi Symbolam Egregiam bibliothecæ  
huic struendæ contulerunt, & collectorem ad eiusdem publicationem  
excitarunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38433**

## EPISTOLÆ

ALIQVOT VIRORVM ILLVSTRIVM, QVI SYMBOLAM EGREGIAM bibliothecæ huic struendæ contulerunt, & collectorem ad eiusdem publicationem excitant.

Perillustri, Reverendis, & Eximij Domini, D. ANGELI MANRIQUEZ, Pacis Augustæ in Hispania Episcopi, nuper in Salmanticensi Academia S. Theol. Antecessoris primarij, Regi Catholico à sacris concionibus, &c.

### INSCRIPTIO.

Reverendo in Christo Patri CAROLO DE VISCH,  
Confessori sanctimonialium Vallis Cæli.

### REVERENDE PATER

**L**ITERAS datas Martij die undecimâ, quas Paternitas Vestra per Reverendum Patrem magistrum, Fratrem Iosephum Arnolphini, ad me transmisit, gratanter suscepi, & gaudius sum eam mentem Paternitati Vestræ à Deo inditam, ut Cisterciensis familiæ scriptores diu delitescentes, editâ bibliothecâ in lucem daret. Id ipsum nobis Magister Frater Alphonfus Perez de Humanes, Salmanticensis Abbas, & Reverendissimus Frater Dionysius Cimbrom, Matritensis, significauerant; remissis litteris Paternitatis Vestræ quibus petebat, ut si quid Phœnici reuiuifcenti Fratris Chrysofomi Henriquez addi posset, integrâ veritate adnotaretur, ut locupletior bibliotheca indè prodiret, Salmanticensi, qui prior nobis scripsit, quæ addere Phœnici, quæque corrigere operæ pretium duximus, remisimus. Pauca profectò, quia eum ipsum laborem (occasione Chronici Cisterciensis quod Aubertus Miræus publicauit, in quo scriptores Hispanos diminutè, atque nimitiù confusè scribit) antea susceperamus ipsiq; per Chrysofomum remisimus: undè ille eam partem Phœnicis hausit. Pauca, inquam, sed digna non omitti. Quæ quia ad Paternitatem Vestram missa scio, consultò non repeto. Eundem laborem, & sub eodem titulo *Bibliotheca Cisterciensis*, à Philippo Seguino Kalisiano, dum viueret, susceptum, eius manu exaratum apud me habeo; quippè cum multis alijs manuscriptis, ex bibliothecâ Abbatis Fiteriensis ad me transmissum. Miserat ille Bernardum Villalpandum monachum Nucalensem per totam Galliam antiquitates Cistercij illustraturum: Peruenisse Kalisium, siue Caroli locum, compertum habeo, indeque manuscriptum adduxisse, dono fortassis datum ab ipsis monachis; nam subreptum, non credam. Certè quocunque modo acceptus sit, à quinquaginta, & eis amplius annis, Fiterium venit, atque in manus Ignatij eius Abbatis: post cuius obitum illud obtinimus. Hæc sunt quæ Paternitati Vestræ possum scribere de his, quæ me interrogat plura scripturus, si pluriùm notitia mihi suppeteret. Vale. Datum apud Pacem Iuliam, vel Augustam, Kalendis Maij, anno 1648.

R. P. Vestra seruus, F. ANGELVS  
MANRIQUEZ.

EPISTO-